

tero, ius publicum Germaniae a Franckio, et formulam iudicariam a Tob. Richtero percepit. Interfuit etiam Hommelii praelectionibus iuris germanici et canonici, Viri praeclare de se meriti, cuius saluberrimis consiliis, et in ingredienda, et in persequenda studiorum ratione, mirifice adiutum se esse, laetabundus profitetur. Artem e commentariis iudicum referendi, debet privatissimis scholis Winckleri, Patroni multis sibi nominibus colendi, cuius in se fauorem non potest non pie praedicare. Anno praeterito, d. XVII. Mart. Praefide Schotto, patrono maximopere colendo, diserte defendit dissertationem e Iuris ciuilibus Historia, *de praescriptione aduersus ciuitates*. Paulo post habitis consuetis lectionibus, et superato examine, d. VII. Maii anni LXXIV. utriusque Iuris Baccalaureus renunciatus est. Eodem anno exeunte socius adfuit in Cathedra Philosophica, Wolfio A. M. in defendenda disputatione, *de latinitate ecclesiastica in Codice Theodosiano*, quam alio loco laudauimus.

FRIDERICVS ANDREAS GALLISCH, *Parisiis mortuus*  
*in mense Febr.*

LIPSIENSIS

Medicinae Baccalaureus.

**N**atus est in hac urbe, anno Saeculi LIV. patre Georgio Godofredo, Pharmacopaeo, matre Maria Regina, nata Netzelia. Ab his optimis parentibus, ab ineunte aetate, domesticis praeceptoribus literis et moribus formandus traditus est, inter quos Meuselium inprimis laudat. Mox missus est ad Leisnerum, Scholae Thomanae rectorem, ut priuatissimis eius lectionibus interesset. Anno dein aetatis duodecimo in Scholam Portensem missus, per quatuor annos, benignissimis praeceptoribus ita usus est, ut, cum omnium in se beneuolentiam dignis laudibus prosequi non possit, tamen Ferberi inprimis, nunc agra Weissenfensis Ephori, in cuius domo vixit, cuiusque curae traditus fuerat, studium in se, et amorem vere paternum, filere non potest; non enim facile excidit ingenio animo beneficiorum memoria. Rediit ex ea schola Lipsiam anno LXX. Academiae ciuibus accensus rectore Plazio, quem pie colit. Iam prima curarum fuit humaniorum litterarum studium. Ernestii igitur